Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1019
Quelle:
Copyright:

ibi agatur &c. Ita deinceps de Synodo, de Administratione Sacramentorum, de Quadragesima, et Poenitentium reconciliatione, donec *col.* 6. tota Collectio in *Poenitentiale* evadat, cujus Canon ultimus: *Qui alterius uxorem fricauerit. III. annis peniteat.* Vetustam admodum esse Collectionem isthanc, omnia suadent, neque in editis, quas pervolvi, eam reperi.

III. *fol.* 6. *De Conjugatis. Et Viduis.* Exponitur C. VII. *Epistolae I. ad Corinth.* hoc initio: *Loquitur apostolus paulus corinthiis. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat* &c. *Que sententia sic est intelligenda. Eo tempore quo in penitencia non estis in inuicem dormite si vnus ex duobus ita quesierit* &c.

IV. *fol. eod.* p. 2. Erasa inscriptio. Sed est *Adhortatio*, primo ad non admittendos in morbis corporis *Sortilegos*, *filacteria* et *caracteres* aegris adpendentes, dein contra fraudes in vendendo, irreverentiam in templis, et neglectum Filiolorum in Baptismo susceptorum. Initium: *Fratres Quamvis bona sit sanitas corporis multum melior est sanitas mentis* &c. Similia in *Caesarii* et in *Augustino* suppositis *Sermonibus.* Ad calcem rubro: *Finit de canonibus.*

V. *fol.* 6. p. 2. *Incipit de Vitis Patrum.* Initium: *Quidam requisiuit abbatem isaac dicens. Abba quare te demones tantum timent?* &c. Sunt Excerpta de Abb. *Machariis* duobus, *Sisoi*, *Apollonio* et *Mucio*, maxime e II. et III. Libb. *Rufini*, ut sunt in edit. *Herib. Rosweydi Antverp.* 1628. f.

Hispanicae quaedam voces *fol.* 4. adscriptae vero simile faciunt Membranas has ex ea Regione adlatas olim fuisse.

CCLXXX. VI. 9. 28

Codex chartaceus lat. Sec. primum XV. dein XVI. Folior. perscriptorum 98. 4. continet: I. *Paschasii Ratberti* Abb. *Corbejens.* Scriptoris Sec. IX. Librum *de Corpore et Sanguine Domini* praemisso hoc Disticho: 542

Rex sedet in cena turba cinctus duodena
Se tenet in manibus se cibat ipse cibus.

Sequuntur Versus illi ἀκροστιχοι, *Regis adire sacre* &c. quorum primae Literae nomen *Radbertus Levita* conficiunt; desunt vero cetera, quae in edit. *Marteniana* T. IX. *Collect. ampl. Monum.* p. 373. praecedunt. Prologus est ad *Placidum*, quod Editores *Hist. liter. Franciae* T. V. p. 294. *Warini* Abb. *Novae Corbejae* agnomen fuisse tradunt. Textus divisus nobis in *Capita* XXIII. ibi definit: *ad illa resurrectionis gaudia quantocius uenire valeamus.* Confer etiam *Codd.* in *Indice* notatos.

II.